VIA FERRATA



CARMEN

PETRI ESSEIVA



VIA FERRATA

CARMEN

Ferri aerisque rigens stat monstrum immane metallo
Terra et Vulcano partum, nova forma Chimaerae
Ferreis fulta rotis, cui perpetuo ordine centum
Vincti a tergo haerent ingenti pondere currus.
Carnibus haud pecudum nec bellua pascitur herba,
Sed prunae ardentes infusus et amnis iniquam
Explent ingluviem. Magno vix corpore septi,
Adversas miro jungunt certamine vires
Ignis et unda simul; tum creber anhelitus intus
Auditur, surdis quatiturque ferae ictibus alvus.
Tunc quoque nigrantem fumum mixtasque favillas
Evomere, et tardo primum discedere motu;
At citius citiusque fugit stimulo excita coeco,
Agmen agens currum; fert impetus ipse ruentem
Emensumque atra spatium caligine signat.

Cocyto credas, Stygiisve paludibus anguem
Emissam, celeri tam magna volumina tractu
Per campos sinuat, tam stridula sibila scissis
Crebrescunt auris, tanto ferit astra tumultu!
Longinquo allapsum nunc murmure prodidit et jam
Transit et ex oculis jam se servantibus aufert.
Non hiscens tellus praetentave flumina talem
Impediunt cursum, nivei non vertice montes;
Nam modo praecipiti suspensum gurgite pontem
Mole terit, volucrique tremunt sub pondere pilae,
Obscurum modo se illa furens immittit in antrum
Horrifico sonitu; vocem cava claustra volutant,
Et trepidi fugiunt manes dum viscera terrae
Scrutatur penitus, solique loca invia visit.
Inde brevi superas iterum patefacta sub auras
Redditur, et certum per prata, per arva, per urbes
Pergit iter vento citior Phoebique quadrigis.
Nec piceis ubi telluri nox incubat alis
Lapsa polo, sopit stimulos agmenque retentat;
Purpurea sed dira ferae stant lumina flamma,
Collustrantque viam longe, geminamque rotarum
Exstantem normam, visuque animalia terrent.

Marmore caelato, fabrili splendida luxu
Est domus, ignivomi sublimis regia monstri,
Advectas toto merces qua congerat orbe.

Huic ubi fit propius, veluti remorante capistro,
Sensim animos ponit, crassum proflansque vaporem
Fornicibus celsis succedit, et hic tandem stat.
Curribus at populus migrantum desilit ingens
Funditur et foribus; sua qui modo tecta reliquit
Insuetas terris plantas, nova sidera coelo
Miratur, rerum et mutato nomine mussat.
Exsultat jactans vanaque homo mente superbit,
Qui spatii leges naturae et foedera cuncta
Subjecit pedibus, superos neque respicit ultra
Impius, aut divum cuiquam parere fatetur;
Ipse sibi deus, infrenis lex una libido.
Haudquaquam Jovis hic typhoea tela pavescit,
Quin et Titanum fatis melioribus ausus
Infandum renovare nefas, temeravit Olympum,
Confectique situ patris exitiabile dextra
Eripuit fulgur, ferri quod stamine rectum
Protinus ipsius portet mandata per orbem.
Nec jam successu tumidus tibi, Phoebe, pepercit;
Artibus acaeis nam te, pulcherrime, coelo
Elicit, et radiis divina fronte revulsis
Captivisque suos jubet ille effingere vultus,
Aeterna ut parti superent monumenta triumphi.
Coelicolis hinc sacratos sibi poscit honores
Aeolidae similis, vocem quando Altisonantis

Cornipedum pulsu simulabat et aere rotarum.
Demens ! aërium compelle ad frena vaporem,
Insanaque fuga terrenam contere sedem,
Neptuni vel praepetibus finde arva carinis,
Raptus amore lucri, fugientem haud secius urgent
Ultrices curae, tacito quae vulnere tractim
Insomni fibras tentant. Quacumque molestum
Flectis iter, tristes morbi turpisque senectus
Insidias posuere, ratamque in tempore praedam
Excipiunt ; manet extremo sub limite lethum.



IMPRIMATUR.

Fr. Hieronymus Gigli Ord. Praed. S. Pal. Apost. Magister.

IMPRIMATUR.

Fr. Ant. Maria Ligi-Bussi Archiep. Icon. Vicesgerens.

ROMAE, TYPIS CIVILITATIS CATHOLICAE MDCCCLXV.